Caput VI.

Tubuli marini è materiâ corallinâ conflati.

Sectio XXIV.

De Tubulis marinis rectis non ramoſis, qui, ubi plures ſimul uniti ſunt, Tubularia marina vocantur.

§. 89.

Tubularia marina.

Tubularia marina corallina purpurea tubulis rectis cavis ſe invicem ſeptis horizontalibus diſiunctis, atque ſimul firmatis coagmentata: Tubularia purpurea Tourn. 575. t. 342. Tubularia marina corallina alba tubulis rectis cavis ſine ſeptis arctè inter ſe iunctis Bocc. Muſ. di Fiſica. t. 2. et 7. f. 1. p. 288. Eadem ac prima cum ſuâ radice alba, et gypſeâ, porulisque, è quibus emergit, ac pullulat.

Stellaria punctata.

90. Tubularia marina orbicularis lapidea punctis concavis undique inſignita à tubulis rectis concavis arctè inter ſe unitis inductis. Stellaria punctata minima Lepidotes dicta. Bocc. Muſ. di Piant. p. 47. t. 32. Merc. 315. Eadem ſed materiâ lapideâ ità infarcta, ut puncta non appareant.

Sectio XXV.

De Tubulis marinis corallinis, incurvatis, cavernoſis, non ramoſis, ſtriatis, pluribus ex una radice ortis, cavernulis plerumque à ſeptulis è puncto centrali emergentibus, et ad peripheriam uſque tendentibus, ſicque ſtellulam efformantibus productis; Millefiore marino corallino dicendis. Imperat. p. 628.

§. 91.